



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIV. De aliquibus personis, quæ licitè, vel illicitè sequuntur opinionem probabilem; & primò de subditis respectu suorum Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

sentientem, privilegium Bullæ non prodesse regulis ad effectum absolvendi illos à reservatis, posse obligari ad audiendas illorum confessiones, illosque absolvendos, sentientes sibi prodesse tale privilegium; sed hoc non est dicendum; ergo &c.

240. Dubium tamen est: Utrum casu, quo Confessarius, sive proprius, sive delegatus tenetur pœnitentem juxta illius opinionem probabilem absolvere, ad id teneatur sub peccato? Variè sunt in hoc dubio Doctorum sententiæ. Prima asserit, delegatū solum sub veniali teneri hujusmodi pœnitentem absolvere. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 7. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unic. sect. 9. à num. 82. Sayr. in clavi, lib. 5. cap. 13. à n. 23. Moresinos 1. 2. d. 29. quest. 5. num. 199. adduntque sæpè ex bona fide, & zelo suæ opinionis excusari.

241. Secunda sententia affirmat, neque venialiter peccare, si Confessarius suam opinionem longè probabiliorem reputet; siquidem habet causam suspendendi absolutionem, nempe ut opinio sua vires accipiat; dummodò excipiat casus, quo pœnitens ex præcepto Ecclesiæ teneretur communicare; tunc enim grave onus ei imponeretur, si ex denegatâ absolutione, cum ritè dispositus accederet, iterum confiteri cogeretur. Ita Anton. Perez. certam. 10. dub. 2. n. 93.

242. Tertia sententia docet, esse quidem gravem obligationem, non tamen semper sub mortali; siquidem aliquando ex parvitate materiæ poterit esse tantum veniale hujusmodi pœnitentiabsolutionem negare, ut si confessio esset nimis brevis, aut de foliis venialibus facta. Ita P. Soar. in 3. part. tomo 4. d. 32. sect. 5. consentit P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 29. quatenus tunc non videtur grave onus pœnitenti imponi adeundi alium confessorem. Idem videtur tenere Joan. Sanch. d. 33. num. 54. sine, quatenus dicit esse mortale, si confessio sit de mortalibus; ergo solum erit veniale, si confessio fuerit de venialibus facta.

243. Quarta sententia, quam ut probabiliorem sequimur, defendit, semper esse peccatum mortale negare absolutionem hujusmodi pœnitenti, si ipse in tali negatione non consentiat, sive confessio de mortalibus, sive de venialibus sit. Ita quoad primam partem, quando confessio fuerit de mortalibus tenent P. Soar. P. Sanch. Joan. Sanch. citati, P. Granad. contrav. 7. tract. 10. d. 9. num. 15. & 16. Diana part. 2. tract. 13. resol. 11. P. Bauny tract. 4. de Pœnitent. quest. 13. assert. 3. Leand. tract. 5. de Pœnit. d. 7. quest. 59. Quoad secundam verò partem, quando scilicet confessio fuerit de venialibus, tenet P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 4. num. 6. neque dissentire videntur P. Soar. & P. Sanch. cit., quatenus dicunt, dari ibi obligationem gravem.

244. Probatur 1. pars, quia obligare pœnitentem, denegatâ absolutione, ad iterum confitenda peccata gravia, habendumque dolorem de illis, esset ei grave onus imponere, gravemque injuriam ei inferre; hoc autem stare nequit sine gravi culpâ ex parte Confessoris; ergo &c. Probatur 2. pars, quia Confessarius negans absolutionem hujusmodi pœnitenti, etiam quando de venialibus confitetur, privat illum magno beneficio Sacramenti, ad quod habet jus, cum sit ritè dispositus; ergo graviter peccat.

245. Dicent primò, privationem illam beneficii Sacramenti posse facile reparari, si eadem venialia, ut sine gravi onere potest, iterum confiteatur. Sed contra, quia, cum hæc reparatio sit per accidens, non te excusat à peccato. Patet, quia si dignum aliquo Beneficio Ecclesiastico, illo privares, etiam

Tóm. 2.

si scires, facillimo negotio aliud æquè bonum posse consequi, non idèò hoc te excusaret à gravi culpâ injustitiæ; siquidem ad gravitatem culpæ non debet attendi, an damnificatus possit damnum reparare, sed sufficit si damnum illatum sit grave.

246. Dicent secundò, privationem absolutionis, & fructus sacramenti in confessione venialium, non esse damnum grave, neque gravem materiam. Sed contra, quia si ex voto tenereris confessionem venialium efficere, & omitteres, graviter peccares; ergo materia gravis est obligare pœnitentem, aut ut careat fructu Sacramenti, aut ut confessionem de venialibus iterum efficiat.

247. Ex dictis colliges primò, pœnitentem bona fide existimantem, aliquem contractum sibi licere, qui tamen verè licitus est ex aliorum opinione probabili, esse necessariò absolvendum, etiam si Confessarius contrarium opinetur; siquidem pœnitens prout sic accedit ritè dispositus. Secundò, si pœnitens ex ignorantia judicet contractum esse illicitum, cum tamen sit licitus, teneri confessarium pœnitentem monere, licitum esse secundum aliquorum opinionem, ut sic pœnitentem, quem tenetur instruere, à periculo peccandi removeat. Ita Salon. 2. 2. quest. 62. art. 2. contrav. 4. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 31. quos citat, & sequitur P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 4. num. 7.

248. Tertiò, si contractus ille sit omninò illicitus, debere Confessarium monere pœnitentem, ut ab illo desistat, quod si nolit, est indispositus, sicque non debet, imò tenetur illum non absolvere. Ita Ledesma sum. tit. de Sacram. Pœnit. diff. 14. Villalob. supranum. 4. P. Pal. cit. Quartò, hanc obligationem absolvendi pœnitentem juxta opinionem probabilem, intelligendam esse, quando opinio probabilis versatur circa aliquam rem factam, aut faciendam ab ipso pœnitente, non autem circa rem, quæ se tenet ex parte Confessarii, qualis est illius jurisdictio, vel approbatio; siquidem tunc absolutio negata, neque arguit indispositionem in pœnitente, neque cedit in illius injuriam; sed solum defectum jurisdictionis arguit in Confessario, qui eam sibi irrogat injuriam. Ita Joan. Sanchez d. 44. num. 10. Basil. lib. 4. de Matr. cap. 25. & cum illis P. Pal. cit. num. 4.

SECTIO XIV.

De aliquibus personis, quæ licitè, vel illicitè sequuntur opinionem probabilem; & primò de subditis respectu suorum Prælatorum.

DIFFICULTAS hic est: Utrum subditus contra suam propriam opinionem teneatur obedire suo Prælato præcipienti? Advertes primò, hujusmodi difficultatem procedere, non solum de subditis religiosi, sed etiam de secularibus Superiorem habentibus, qui eis possunt aliquid præcipere.

250. Advertes secundò, tripliciter posse subditum habere opinionem contrariam opinioni Superioris præcipientis. Primò, si opinetur non habere jurisdictionem, eò quod non fuerit legitima ejus electio, aut quia tempore electionis erat excommunicatus, in quo eventu ejus electio erat ipso jure irrita & nulla juxta cap. Venerabilem de Election. §. Sunt enim & tenent Gloss. ibi: Verbo electus Abb. num. 11. & quia excommunicatus secundum Bald. in cap.

M 2

Infamis,

Infamis 16. q. 1. est infamis; infamibus autem portae non patent dignitatum de regul. jur. in 6. Aut etiam quis fuerat natus ex fornicatione, ex qua nascitur inhabilitas ad praelaturam ex cap. 1. de Filiis Presbyter.

351. Secundò, potest subditus habere opinionem contrariam, quando Praelatus, licet sit legitimus, & veram habeat jurisdictionem, præcipit tamen rem, licet honestam, ita difficilem, ut subditus ob rationes, vel authoritatem Doctorum ab ipso consultorum, formet iudicium, & opinionem probabilem, quòd in talibus circumstantiis non tenetur obedire, ut si Praelatus præciperet longam peregrinationem nudis pedibus peragendam, & ad id præcipiendum probabilior haberet opinionem contrariam opinioni ipsius subditi.

352. Tertiò, potest subditus habere opinionem contrariam, quando Praelatus, licet legitimus, & veram habens jurisdictionem, præcipit rem, quam ipse iudicat licitam, de qua tamen subditus habet opinionem, quòd non sit licita, ut si Episcopus Sacerdoti præcipiat, quod celebret non jejunus ad communicandum infirmum, quod probabiliter est peccatum, ut docent Navar. P. Soar. P. Azor. & P. Fagund. quos citat, & sequitur Leand. tr. 7. de Euchar. d. 5. q. 21. licet etiam oppositum sit probabile, ut docent Palacios in 4. dist. 9. Thom. Hart. tom. 2. tr. 11. cap. 9. Resol. 8. n. 306. & alii, quos tacito nomine refert P. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 30. q. 2. sine. Aut quod sibi laico administraret Eucharistiam in defectu Clerici, quod probabiliter est illicitum, ut docent Victor. Sylvest. P. Henric. lib. 8. cap. 54. num. 3. P. Sa. verb. Euchar. num. 4. P. Vasq. d. 219. cap. 1. P. Fagun. in 3. præcept. lib. 3. cap. 3. num. 8. P. Lug. de Eucharist. d. 18. n. 24. & alii: licet etiam oppositum sit æquè probabile, ut tenent P. Soar. d. 72. sect. 2. P. Filliu. tract. 4. n. 258. P. Valent. d. 6. q. 10. pun. 1. P. Reginal. lib. 29. n. 93. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tract. 7. de Euchar. d. 4. q. 12.

353. Similiter si Praelatus præciperet ad vitam tuendam, ut comederet carnes humanas, non quod ad id hominem interficeret, hoc enim, cum sit intrinsecè malum, ob nullum mortis timorem licet, sed de carnibus interfectorum, quod quidem probabiliter etiam est illicitum, ut aperte significat D. Thom. 2. 2. q. 142. a. 4. ad 3. & tenent Victor de Intemperantia, n. 6. P. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 33. q. 4. P. Valent. 2. 2. d. 9. punct. 1. P. Fagun. 4. præcept. lib. 1. cap. 1. n. 7. quamvis oppositum ut probabilius doceat P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 18. n. 12. & apud illum Caiet. 2. 2. q. 148. art. 2. ad 2. sine. Abul. 4. Reg. cap. 6. q. 32. Navar. sum. cap. 33. n. 122. P. Sa. sum. verb. comedere. P. Tolet. sum. tr. de Peccat. post lib. 7. cap. 60. n. 3. Aut si Sacerdos poenitentiam imponeret, aut Praelatus præciperet jejunium diebus Dominicis, quod quidem illicitum esse docent D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 25. ad 4. & in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. q. 2. corpore, & ad 1. Caiet. 2. 2. q. 92. art. 1. vers. In sequenti verò. Navar. sum. cap. 11. n. 41. vers. quinto. Sayr. in clavi, lib. 4. cap. 4. n. 2. & ut tale interdicitur in cap. Si quis tanquam, cap. si quis presbyter. dist. 30. & cap. Sacerdos 26. q. 6. & cap. Ne quis jejundet de Consecrat. dist. 3. quamvis oppositum sit etiam probabile ut ex D. Aug. epist. 86. ad Casulan. ex D. Hieron. epist. 28. ad Lucinum, & cap. Utinam. dist. 76. probat P. Sanch. lib. 2. decal. cap. 32. n. 12. & tenent apud illum Medin. C. de Jejunio. Ledesm. 2. p. 4. q. 17. art. 4. Palacios 4. dist. 15. d. 8. Angel. 1. p. q. 4. de Jejunio, dist. 3. P. Valent. 2. 2. d. 9. q. 2. punct. 4. dub. 2. B. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 26. q. ult. P. Less. lib. 4. de just. cap. 2. dub. 9. n. 68. His positus,

254. Dico 1. In primo casu, quando scilicet subditus opinatur, quod Praelatus non habet jurisdictionem, probabilis est, quod subditus non tenetur obedire. Ita P. Vasq. d. 62. cap. 6. sine. Gerson tom. 3. tract. de Vita Spirit. lect. 4. corol. 10. alphab. 62. lit. N. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 8. n. 78. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 12. P. Less. lib. 2. de just. cap. 42. dub. 9. num. 77. sine. Lorcan. 2. tom. 2. d. 26. §. Adverte præterea, Joan. Sanch. d. 33. n. 31. quos citat, & sequitur P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 6. num. 8. Probatur, quia tunc jurisdictionis possessio in Praelato non est certa, sed tantum probabilis; ergo ex illa non sequitur, quod subditus teneatur obedire absolute, sed tantum probabiliter; ergo probabiliter potest non obedire. Confirmatur, quia præsumptio non magis stat pro jurisdictione Praelati, quam pro libertate subditi; ergo iudicatio non debet præponderare contra libertatem, quam habet subditus ad non parendum sequendo suam opinionem probabilem.

255. Oppositum tenet P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. n. 29. pro quo: Obijcies 1. Quando quis certus est, se votum emisisse, dubitat tamen, an habuerit intentionem se obligandi, tenetur voto; ergo etiam subditus, qui certus est, Petrum v. g. esse suum Praelatum, dubitat tamen de illius jurisdictione, tenetur ei obedire. Respondeo primò concedendo totum; præfens enim quaestio non procedit, quando datur huiusmodi dubium, tunc enim idem dicendum est in utroque casu: procedit autem quando datur opinio probabilis, quæ sicut excusat subditum ab obedientia, ut diximus, ita etiam potest excusare à voto.

256. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia qui facit aliquem actum, censetur illum facere cum omnibus qualitatibus illi debitis, si potest; cum autem ille homo emittens votum potuerit sibi imponere illam obligationem, præsumitur illam sibi imposuisse; siquidem actus de se certò erat capax; & cum præsumptio stet pro voto, tenetur homo de voto, licet dubitet de sua intentione: at verò Petrus factus Praelatus solum probabiliter præsumitur habere jurisdictionem, siquidem non est certum, sed tantum probabile, fuisse capacem talis jurisdictionis; cum autem etiam oppositum sit probabile, potest subditus velle huic opinioni se conformare, ac proinde non tenebitur ei obedire.

257. Obijcies 2. Si conjux opinetur matrimonium fuisse nullum, adhuc tenebitur reddere debitum alteri conjugi petenti ex cap. Inquisitione de sentent. excomm. ergo etiam subditus, licet opinetur Petrum non esse verum Praelatum, neque habere veram jurisdictionem, adhuc tenebitur ei obedire. Respondeo negando antecedens; textus enim citatus solum dicit, conjugem in illo casu posse, non tamen teneri reddere; sicque similiter dicimus, subditum posse, sed non teneri in illo casu obedire, cum illum excuset opinionis probabilitas.

258. Obijcies 3. Si subditus ex sola sua opinione probabilis, non teneretur suo Praelato obedire, quando etiam ex opinione probabilis præcipit, multa sequerentur scandala, & perturbationes inter subditos non parentes, & superiores præcipientes, ut per se patet; hoc autem non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo negando majorem; non enim datur scandalum, nisi quando quis facit actionem ex se malam, aut mali speciem habentem sine causa, ex qua alii exemplum, & occasionem sumunt ad malè operandum: at verò subditus in nostro casu nixus opinione probabilis, non facit actio-

actionem malam, neque mali speciem habentem, sicque aliis non præbet scandalum, neque occasionem male operandi, cum etiam alii male non operentur, si opinione probabili ducti etiam non obediunt. Accedit, quod etiam hæc omnia sequerentur in opinione P. Sanch. & aliorum docentium, subditum non obligari, quando habet opinionem probabilem, quod electio Prælati non sit legitima; aut quando pro se legitimam habet excusationem.

359. Obijcies 4. Reus in causa sanguinis, quando ejus delictum solum habet semiplenam probationem, tenetur ut subditus obedire judici ut Prælati interroganti de crimine, illadque aperire, idque ex l. de jur. jurand. ubi dicitur, partes debere jurare de calumnia: id est, se in omni parte litis veritatem dicturas; & ita tenent D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. & cum eo omnes discipuli: Vegg. in sum. tom. 2. cap. 89. casu 1. Aragon. 2. 2. q. 69. art. 1. & alii; & tamen Reus in prædicto eventu habet opinionem probabilem, quod non teneatur obedire, ut docent Villalob. tom. 2. sum. tr. 16. diff. 1. num. 10. P. Filliu. tom. 2. tr. 40. n. 266. P. Less. de just. lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 16. Navar. lib. 2. de restit. cap. 4. num. 42. & alii, quos citat, & sequitur Diam. p. 2. tract. 13. Resol. 27. ergo similiter subditus in nostro casu tenebitur Prælati obedire. Respondeo negando majorem ob rationem assignatam in minori, & in h. Nimis grave 7. C. de Testib. ubi dicitur: Neminem teneri contra se exhibere id, per quod sibi negotium fiat. Unde argumentum potius confirmat, quam infirmat nostram doctrinam.

360. Instabis: Judex in eo eventu justè interrogat; & Prælati justè præcipit; ergo neque reus justè repugnat fateri veritatem; neque subditus justè repugnat obedire præcepto; alioqui daretur bellum justum ex utraque parte. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, esse quidem veram, si sermo sit de bello formaliter, non autem materialiter justo: potest enim dari bellum ex utraque parte formaliter justum, quatenus utraque pars existimat se non peccare, quia per ignorantiam existimat se habere justam causam: non tamen potest dari bellum ex utraque parte materialiter justum circa eandem rem, quia nulla pars potest habere actus sibi contrarios de eadem re, aliter secum pugnaret, & bonum bono contradiceret. Unde Justitia quæ tibi præbet titulum justè possidendi civitatem, non potest tribuere Petro titulum materialiter justum contradicendi tibi, sed tantum formaliter, quatenus & tu, & ille per ignorantiam veritatis, & ratione opinionis probabilis existimas justè agere, & operari.

361. Hinc Patroni causarum in litibus ignorantia veritatis excusantur ratione opinionis probabilis; prudenter enim agunt Advocati probabilem justitiam sui clientis tuendo. Hinc etiam Navar. lib. 7. de restit. part. 3. dub. 13. num. 239. & cum eo P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. num. 7. sine, dicunt dari bellum utrimque formaliter justum ratione probabilis ignorantie, quando Princeps habet opinionem probabilem dicentem, suum tributum obligare, & esse justum; subditus autem habet e contra opinionem probabilem, quod non obliget; tunc enim neque Princeps peccat exigendo, neque subditus non solvendo.

362. Obijcies 5. Prælati habet jus præcipiendi, quod justè possidet; sed nemo potest justè spoliari re, quam justè possidet; sic enim, licet tibi probabile esset, rem à me possessam esse tuam, non ideo ex hac probabilitate posses me justè illa spoliare; ergo

subditus non potest Prælatum suo jure spoliare, nisi obediendo. Respondeo Prælatum solum probabiliter possidere jus præcipiendi, sicque subditum non illum spoliare re, quam justè possideat absolute, imò potius repellere injuriam, saltem materiale sibi probabiliter factam, & conservare suam libertatem, ad quam conservandam habet opinionem probabilem.

263. Dico 2. In secundo casu, quando scilicet Prælati est legitimus, & veram habet jurisdictionem, præcipit tamen rem ita difficilem, licet honestam, & subditus ob rationes, vel auctoritatem Doctorum habet opinionem probabilem contrariam, quod non teneatur obedire, potest illam sequi, etiam si opinio Prælati præcipientis sit probabilior. Ita P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. num. 7. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 12. n. 6. Torref. d. 50. dub. 5. num. 9. Petr. Navar. lib. 3. de restit. p. 3. dub. 13. n. 239. sine. Joan. Sanch. d. 33. n. 28. quos cit. & sequitur P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 6. num. 1. tenet etiam P. Bard. discept. 4. cap. 26. n. 18.

264. Probatur, quia quoties homo habet opinionem practicè probabilem licitè operatur; sed subditus in eo eventu habet opinionem practicè probabilem; siquidem tunc datur opinio practicè probabilis, quando homo pensat omnibus circumstantiis intrinsecis, & extrinsecis, format assensum innixum rationibus alicujus ponderis, & auctoritate Doctorum piorum ita sentientium; talis autem subditus ita se haberet; siquidem haberet rationes, & auctoritatem Doctorum illum excusantium; ergo haberet opinionem practicè probabilem; consequenterque licitè operaretur non parendo.

265. Confirmatur, quia non magis subditur homo legi, & præcepto humano, quam legi, & præcepto divino; sed in aliquibus circumstantiis potest non obedire, seu excusari à lege, & præcepto Divino ex eo, quod habeat opinionem probabilem, quod illum non obliget in talibus circumstantiis; ergo à fortiori poterit non obedire legi, & præcepto humano, si habeat opinionem practicè probabilem, quod non teneatur ei obedire.

266. Probatur minor, quia integritas confessionis Sacramentalis est de jure divino, ut definitur in Concil. Florent. in decret. Eugen. IV. & in Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. ibi: Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentia, ad remissionem peccatorum non esse necessarium jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, etiam occulta, quorum memoria habetur: anathema sit; sed ab hoc præcepto juxta opinionem probabilem excusatur pœnitens in aliquibus circumstantiis, in quibus talis opinio illum excusat; sic enim excusatur scemina, quando prudenter, & ex gravi fundamento timet, Confessarium scandalizandum; aut ab eo sollicitandum, si aliquod carnale peccatum ipsi confiteatur; aut illud revelaturum: sicut etiam casu, quo pœnitens occultè occidisset illius fratrem; habuisset rem cum matre, aut sorore illius; & si peccaret illud confiteretur, statim Confessarius conjiceret, illum esse reum, ut docent P. Soar. d. 22. sect. 2. Navar. cap. 3. n. 7. P. Becan. cap. 37. q. 2. conclus. 4. Sor. dist. 18. q. 2. art. 5. P. Granad. tract. 9. d. 5. P. Filliu. tr. 7. n. 124. P. Lug. d. 16. num. 526. P. Reginal. lib. 6. cap. 5. sect. 4. quos citat, & sequitur Leand. tract. 5. de Pœnitent. d. 5. quæst. 49. ergo &c.

267. Dico 3. In tertio casu, quando scilicet subditus habet opinionem practicè probabilem, quod Prælati præcipit rem illicitam, potest, non tamen teneatur obedire. Probatur prima pars, quia ut supra diximus, cuilibet licet, relicta propria opinione, etiam probabi-

probabiliore, amplecti, & sequi contrariam oppositam, etiam minus probabilem, & minus tutam; ergo etiam subditus, relicta propria opinione probabiliter poterit sequi, & amplecti opinionem Superioris probabiliter præcipientis rem licitam, consequenterque ei obedire. Ita Cordub. in *quæst. lib. 3. q. 96. Anon. Perez certam. 10. n. 115. P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 6. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 1. q. 9. & cap. 19. q. 6. P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. n. 6. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica sect. 8. n. 76. quos citat, & sequitur P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 6. n. 2.*

268. Confirmatur primò ex D. Aug. relato, in cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. ibi: *Vir iustus, si forte sub Rege, homine etiam sacrilego, militet, recte potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel non utrum sit, certum non est; ergo ex D. Augusti, quoties certò non constat subdito esse contra Dei præceptum, quod superior præcipit, potest obedire; sed quando superior præcipit rem probabiliter licitam, etiam si subditus probabiliter iudicet illam illicitam, non est certum præcipere rem contra præceptum Dei; ergo potest subditus obedire.*

269. Secundò ex argum. cap. *Si virgo* 34. q. 2. ibi: *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit; si autem sciat, ex tunc adultera esse incipit: ex quo constat, requiri scientiam de nullitate juris alterius, ut non possit illi conformari; sed subditus solum habet opinionem, non autem scientiam, quod superior injuste, sive rem illicitam præcipiat; ergo potest ei se conformare, & obedire.*

270. Advertes tamen primò cum P. Vasq. cit. num. 32. & 33. P. Azor. cit. cap. 17. quæst. 9. & P. Pal. cit. num. 3. ut possis contra propriam opinionem parere, & obedire, debere te efformare iudicium practicè probabile de probabilitate opinionis Superioris; siquidem debes necessariò iudicare, saltem probabiliter, tibi hic & nunc licitum esse obedire; alioqui ageres contra propriam conscientiam regulantem actiones, & peccares, in quo sensu videtur loqui Adrian. quodlib. 2. punct. 3. quatenus dicit, subditum non posse obedire Prælati contra propriam opinionem, qua existimat, rem præceptam esse peccatum, quia ageret contra propriam conscientiam.

271. Advertes secundò, huiusmodi iudicium ex prædictis Doctoribus, non esse desumendum ex eo, quod præcipiens sit superior, & id præcipiat; siquidem dignitas præcipientis non facit probabiliter licitum, quod præcipit; sed ex eo, quod superior sit doctus, & prudens, qui nisi probabiliter ductus rem illam præciperet, quod semper præsumendum est, quamdiu de injustitia præcepti non constat: aut ex eo, quod aliundè scit illud ab aliis Doctoribus ut probabile haberi. Ita etiam sentit Villalob. tom. 1. sum. tract. 2. diff. 11. num. 3. neque dissentit P. Sanchez cit. n. 6.

272. Probatur 2. pars, primò, quia quilibet licite potest sequi opinionem probabilem, relicta aliorum contraria etiam probabiliori, ut supra diximus; sed subditus in proposito eventu habet opinionem practicè probabilem, ut supponimus, quod res illa præcepta illicita sit, idèdque excedat Prælati jurisdictionem, cōsequenterq; quod nunquam fuerit in possessione præcipiendi talem rem; cum nunquam potuerit esse in possessione præcipiendi rem illicitā, & injustam; ergo licite potest sue opinioni se conformare; ac proinde non tenetur prout sic obedire.

273. Probatur secundò, quia superior suis præceptis non obligat strictius, quam Christus Dominus, &

Ecclesia suis obligat præceptis; sed quoties quis probabiliter iudicat, rem aliquam non contineri sub materia præcepta, non tenetur ad illam; sic enim qui habet opinionem probabilem, quod suum peccatum non sit mortale, aut quod jam sit confessum, non tenetur illud confiteri, cum sit prout sic probabile, quod peccatum illud sit extra materiam præceptam à Christo Domino, & ita esse docent Rosel. verb. *Confessio*, 1. num. 12. Sylvest. *ibid.* 2. q. 2. §. 3. Gerson. P. Henric. lib. 5. de *Penit. cap. 4. fine*, P. Soar. *tomo 4. in 3. part. d. 22. sect. 9. num. 5. & 6.* quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. num. 76. contra P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 5. num. 6. ad 4. ergo similiter cum sit opinio probabilis, quod res illa à superiore præcepta sit illicita, sicque extra materiam suæ jurisdictionis, non tenetur subditus obedire.

Confirmatur primò, idèd quando est opinio probabilis, non teneri subditum obedire, subditus deobligatur ab obedientiā, ut docet P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. n. 7. (qui contra nos oppositam sententiam tenet n. 6.) quia possessio superioris tunc vocatur in dubium, sicque non debet huiusmodi possessio præponderare contra libertatem, quam habet subditus ad sequendam quamcumque opinionem probabilem earum, quæ sunt immediatæ regulæ actionum humanarum; sed similiter vocatur in dubium potestas, & possessio superioris, quando datur opinio probabilis illicitum præcipere, aut ejus jurisdictionem excedens; ergo &c.

Secundò, quia superior non est, neque unquam fuit in possessione præcipiendi illicitum, aut illius jurisdictionem excedens, ut ex ipsis terminis patet; sed est practicè probabile, ut supponimus, hoc, quod præcipit, esse illicitum, aut illius jurisdictionem excedens; ergo est probabile non habere jus præcipiendi; ergo etiam est probabile, quod subditus non tenetur obedire; sed quando opinio est practicè probabilis, potest tutò, & licite quis eam amplecti; ergo &c.

Hinc ex rationibus adductis sit, satis probabile esse (licet in praxi semper oppositum sit consulendum, ut dicit P. Pal. statim citandus,) subditum probabiliter opinantem, mandatum superioris esse illicitum, aut illius jurisdictionem excedens, non teneri exequi. Ita absolute docent Ledesm. Joann. Sanch. d. 33. à n. 22. consentit ex parte P. Soar. *tomo 5. in 3. p. d. 4. sect. 6. n. 9. fine & lib. 6. de Legib. cap. 8. n. 3. 4. & 6.* & favere videntur P. Henric. lib. 12. de *Mat. cap. 6. n. 7. & lib. 14. de Irregular. cap. 3. num. 3. litt. X. Cordub. lib. 3. quæst. q. 13. Sylvest. verb. Papa q. 16. d. 2. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 37. Sayr. in clavi. lib. 1. cap. 13. n. 41. quos citat, & sequitur P. Pal. d. 2. de conscient. punct. 6. à n. 5.*

Oppositum cum communi sententia tenent P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 6. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica sect. 8. n. 76. Cordub. lib. 3. q. 9. Sylvest. verb. *Conscientia* q. 3. Sayr. lib. 1. in clavi. cap. 12. à n. 2. Perez certam. 10. num. 115. P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. num. 6. P. Azor. lib. 2. tom. 1. cap. 17. q. 9. Villalob. *tom. 1. sum. tract. 1. diff. 11. n. 3. P. Pal. cit. n. 4.* Primò, quia quisque potest sola aliorum autoritate ductus efformare iudicium contra propriam opinionem; ergo etiam sic poterit efformare, quando aliquid præcipit superior; ergo si potest, tenetur obedire; siquidem superiori, cum possumus, tenemur obedire.

Secundò, quia si prætextu propriæ opinionis, quando probabile est, quod superior præcipit licitum, non teneretur subditus ei obedire, sequeretur magna confusio, & destructio unitatis. Tertio,

Tertiò, quia si conjux opinetur, matrimonium esse nullum, adhuc tenetur reddere, ne alterum spoliaret possessione. Quartò, quia quando non datur certitudo, & evidentia, quod res præcepta sit prava, Prælati possidet jus præcipiendi; ergo non potest subditus cum tali jure spoliare, non parendo. Hæc sunt fundamenta istius sententiæ, quibus tamen jam fecimus satis supra à n. 255. sicut & aliis, quæ adduci hinc poterant, non tamen adducimus, ne eadem repetamus.

SECTIO XV.

Utrum Doctor, Magister, Consultor, & Confessarius teneantur docere, & respondere secundum suam opinionem?

Dico 1. Doctores, seu Rectores alicujus Cathedrae, non tenentur docere, quæ sibi probabiliora videntur. Ita P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica sect. 6. n. 69. P. Sanch. lib. 1. de al. cap. 9. num. 26. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. n. 7. & alii. Probatur primò, quia grave jugum Magistris imponeretur, si haberent obligationem legendi, quæ sibi videntur probabiliora. Secundò, quia hæc sæpius solent esse minus recepta, & probata, & scandalum generarent. Tertiò, quia cum ex vi hujus obligationis tenerentur satis investigare rationes pro utraque parte, sæpè opinio, quæ heri probabilior apparuit, hodie minus probabilis appareret, cogerenturque quotidie mutare in scriptis sententiam; ergo sufficit, si quæ sibi probabiliora videntur, doceant.

Dico 2. Doctor, aut Magister, qui improbabiles opiniones doceret, aut ex malitia, aut ex ignorantia culpabili in rebus pertinentibus ad fidem, aut ad mores, peccaret mortaliter. Ita P. Sanch. P. Sal. P. Pal. cit. Probatur, quia occasionem errandi in rebus ita necessariis præbent, in quibus & ipsi errant, & discipulos in re gravi decipiunt; ergo &c.

Dico 3. Doctor, aut Magister docens communiter opiniones improbabiles in rebus parvi momenti, v. g. Logicæ, aut Grammaticæ, peccat mortaliter. Ita P. Sanch. lib. 1. de al. cap. 9. n. 26. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. n. 8. Probatur primò, quia si id habeant ex officio, tenentur docere vera, sicque non satisfaciunt officio Doctoris, & Magistri; si non habeant, tenentur non docere falsa decipiendo; ergo &c. Secundò, quia gravem injuriam auditoribus inferunt, quatenus in eorum intellectibus errores seminant, sicque tenentur restituere, id est, deceptionem illam tollere, ut docet Petr. Navar. lib. 2. de restit. cap. 2. dub. 1. n. 82. nisi eos excuset parvitas materiæ, ut ait P. Sanch. cit.

Dices: D. Aug. in cap. In quibus 22. q. 2. dicit: In quibus rebus nihil interest ad capeffendum Dei regnum, utrum credantur, an non; & utrum vera sive sint, sive putentur, aut falsa, in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est, esse peccatum, aut si est, minimum esse, atque levissimum; ergo &c. Respondeo D. Aug. cap. cit. solum velle, hujusmodi res sequi, nullam esse, aut solum venialem culpam, cum prout sic in nullius præjudicium sit: non autem illas communiter docere, qui ex officio tenentur veritatem firmare, & errores depellere.

Quæres hinc: Utrum si quis non in praxi, sed in solo assensu temerè circa res morales amplecteretur

opiniones improbabiles, peccaret mortaliter? Negat per se loquendo P. Sal. 1. 2. tra. 8. d. unica sect. 5. num. 44. Sed melius affirmandum judico cum P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. n. 10. Probatur primò ex cap. In quibus cit. 22. q. 2. nam D. Aug. ibi dicit, nullum, vel levissimum peccatum esse sequi opinionem falsam in rebus, in quibus nihil interest ad capeffendum Dei regnum; ergo tacitè insinuat in rebus, quæ ad capeffendum regnum Dei ordinantur, quales sunt quæ spectant ad mores, esse peccatum grave.

Probatur secundò, quia ex malitia, aut ignorantia culpabili malè sentire de rebus ad fidem, aut ad mores pertinentibus, grave peccatum est; sed malè de illis sentiret, qui in solo etiam assensu circa illas amplecteretur opiniones improbabiles; ergo &c. Confirmatur, quia qui sic adhæret hujusmodi opinionibus non potest non se exponere periculo amplectendi illas in praxi; sed qui se exponit periculo peccandi graviter, graviter peccat; ergo &c.

Dico 4. Vir doctus potest, & sæpè convenit, consulere opinionem aliorum minus probabilem, relicta propriâ probabiliori. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 9. num. 47. P. Sal. ibid. tract. 8. d. unica sect. 6. n. 69. & sect. 9. n. 84. P. Sanch. lib. 1. de al. cap. 9. n. 19. Medin. lib. 2. sum. cap. 3. sine. Lopez 1. p. instruct. cap. 120. Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad finem, quatenus expresse loquitur id negans, quando consulens credit aliâ opinionem esse falsam P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. n. 1. Joan. Sanch. d. 41. num. 7. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 6. n. 11. P. Becan. tr. 1. cap. 4. q. 9. n. 16. Lorca d. 41. §. Afferro primò, & alii.

Probatur prima pars, quia Vir doctus, Magister, imò & Confessarius possunt licitè sequi aliorum opinionem probabilem, sive minus probabilem, relicta propriâ probabiliori, ut supra diximus; ergo etiam poterunt sic licitè eam aliis consulere. Probatur secunda pars, quia hujusmodi Doctores quandoque prudenter faciunt, dum minus probabilem opinionem consulunt, quando probabilior difficultem fore poenitenti, aut consilium poenitenti judicant; sic enim eorum infirmitati prospiciunt, & periculum peccandi in eis cavent; ergo sæpè convenit ita consulere.

Objicies 1. Interrogans non inquit de aliorum, sed de tua opinione; ergo ut ad ejus mentem respondeas, non quid alii, sed quid tu sentias, debes manifestare. Respondeo primò negando antecedens; interrogans enim solum inquit, quid ipse possit licitè efficere, sive ex tua, sive ex aliorum opinione, sicque secundum illam, quam prudenter judicaveris convenire, poteris respondere. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; licet enim interroget de tua opinione, non semper teneris illam manifestare, quia aliquando ex illius manifestatione inconvenientia oriuntur.

Objicies 2. cum P. Valent. 2. 2. d. 5. q. 7. punct. 4. vers. Respondeo dupliciter, & dub. 3. post dictum 3. Hæc doctrina non habet locum, saltem in materia justitiæ; siquidem judex, ut infra dicemus, debet ferre sententiam in foro externo juxta opinionem probabiliorum; sed Doctor consultus utitur officio judicis in foro interno; ergo in eodem foro sic debet consulere secundum probabiliorum opinionem. Respondeo datâ majori quoad ejus probationem, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Judex in foro externo est inter partes, ut eis jus dicat sine acceptione personarum, ad id enim constituitur in Republica, sicque debet sententiam ferre secundum id, quod probabilius, & æquius judicat; at verò Doctor consultus est iudex in